

JACOB BALDE

OLYMPIA SACRA IN STADIO MARIANO (1438 vers)

LUDIS APOLLINARIBUS CELEBRATA. SIVE CERTAMEN POETICUM
 DE LAUDIBUS B. MARIAE VIRGINIS SUPER ODE PARTHENIA GERMANICA
 vulgo Ehrenpreiss dicta.

01_1 v.1 Quid indiserta psaltria,
 2 quid, ah, Thalia tentas ?
 3 Cantare laudes Virginis
 4 vix almus audet aether.
 5 Impar reconde barbitum,
 6 raucumque vespa murmur ;
 7 rumpenda ni testudini
 8 vis immori cicada.

01_2 v.1 Urget amor celeres animare in carmina nervos.
 2 Magnae canenda Virgini.
 3 Urget, sed tenuem deducere barbitos odam
 4 rudis timet poetria.
 5 Suavius aetheriae vibrent sua plectra Camoenae,
 6 dignisque certent plausibus :
 7 nos humili sub valle juvat condire profundis
 8 Sacrum melos suspiriis.

01_3 v.1 Virgo, tuas quoties exarsi pangere laudes !
 2 Respuit at flammam frigida Musa meas.
 3 Innumeras numeris quis tentet claudere dotes !
 4 Hic etiam Angelicae torpeat artis ebur.
 5 Aurem Magna dabit tenui Regina Camoenae ?
 6 Non facit ad tantum carmen agreste thronum.
 7 At voluisse sat est. Nihil ex Helicone sitimus,
 8 si, de quo cantat fonte, poeta bibit.

01_4 v.1 Ah ! cor saepe tuas et alma nostrae
 2 in laudes saliere, Virgo, chordae !
 3 Non ut Numinis Orpheos canoris
 4 arte aut voce lacerarent duellis ;
 5 nam Phoebum male provocaret Arcas.
 6 Haec vena caret altiore Musa ;
 7 sed totis animis, tuba relictas,
 8 versus concinit impares avenas.

- 01_5 v.1 Ah, quoties volui supplex impellere nostrum
 2 barbiton in laudes, Diva Maria, tuas !
 3 Non equidem Amphion Thebis caelestibus ortus,
 4 urbs ubi structa lyra, mystica saxa sonant.
 5 Si licet, et pateris ; Dominae famulata paternum
 6 fatidici feriet Musa Davidis ebur.
 7 Pectore demisso quicumque profundius orat,
 8 dum penetrat nubes, altius ille canit.
- 02_1 v.1 Sed mentis urget impetus,
 2 amor vetat silere.
 3 Ave canenda millies,
 4 et saepius, Maria !
 5 Fons o salutis inclyte,
 6 compendiumque Nati !
 7 Quam pulcher est, tam pulchra tu :
 8 totoque spirat ore.
- 02_2 v.1 Salve ergo, o Virgo, Mater dulcissima salve,
 2 et blanda votis annue.
 3 Tot tibi sollicitum meditatur pectus honores,
 4 quot plena fulges gratiis.
 5 Infans Virgineo qui gestit ubere pasci,
 6 ulnisque ferri sarcina ;
 7 is tua depingit roseis labra aemula labris.
 8 Nempe uvam ut uva purpurat.
- 02_3 v.1 Incipe Musa ; imum fidibus depecte susurram ;
 2 rite canam Dominam pronus in ora meam.
 3 Salve Nympha ! tuo saliant ex ubere lymphae,
 4 unde suos risus Orbis uterque bibit.
 5 Aeterno qui fonte fluit fons, ipse Sittor
 6 gestit materni ducere mella favi.
 7 Lucet ab alterno Genitrix et Filius ore ;
 8 quisquis amas Mariam pingere, pingere Deum.
- 02_4 v.1 Salve supplice corde fons salutis,
 2 nec spernas famulum : Maria salve !
 3 Ex te tot Charitum fluentia fundis,
 4 quot vastum fluvios parit profundum.
 5 Quam Natus tuus est decorus ore,
 6 tam cultus tuus est decorus ori ;
 7 Sol Natus tuus est, es ipsa Luna,
 8 formosissimus est, es ipsa forma.
- 02_5 v.1 O igitur salve. Sacros patiare rogamus,
 2 libati nostro pronus ore pedes.
 3 Per te, perque tuos obtestor, Virgo, favores ;
 4 ex qua ceu riguo Gratia fonte salit.
 5 Qui sibi te immenso Genitricem elegit ab aevo,
 6 ille tuus Pulcher, lacteus ille tuus ;
 7 fallor : an ex oculi materni prospicit uva ?
 8 Quam similes sunt, hac Mater, et iste Puer.
- 03_1 v.1 Natura quidquid Daedala
 2 digessit arte pulchri,
 3 Hymettios per flosculos,

- 4 per Indicos lapillos,
5 per clara caeli sidera,
6 et aureos planetas :
7 hoc omne cedit Virgini,
8 pudetque comparari.
- 03_2 v.1 Induat in miros se florida pompa decores
2 Mundi volentis aspici ;
3 Victa tamen, pulchro cum tu jubar exeris ore,
4 se forma gaudet despici.
5 Si quid inaccessis latitat speciosius astris,
6 si quid recondit Gratia,
7 una tenes Mater, Natusque remunerat unam,
8 totamque donis perfluit.
- 03_3 v.1 Prima sui quidquid divisit in Orbe venustas,
2 colligit in forma se Decus omne tua.
3 Jam nec Erythra micat, nec Chloris floribus halat ;
4 fulges prae gemmis, Virgo, fragrasque rosis.
5 Artificis Summi reliquis se dextera spargit ;
6 implevere tuos arx Opifexque sinus.
7 Flectit humo famulae dum casta Modestia frontis ;
8 reginae supra sidera scandit apex.
- 03_4 v.1 Quovis Pasithea decoris omnem
2 sparsos munere rivulos per Orbem,
3 tanquam diluvium Maria formae,
4 immensum mare gratiaeque vincis ;
5 in te nam tuus, o Beata, Natus
6 concludens operum brevem synopsis,
7 et gazae tibi praepotentis assem,
8 virtutum quoque contulit medullam.
- 03_5 v.1 Naturae gremium toto excutiatur in Orbe ;
2 effundat cornu copia plena suum.
3 Quod viret in pratis, quidquid scintillat in astris,
4 aut rubet in conchis, maceret igne liquor ;
5 sic ut conflatus gemmam decor omnis in unam
6 certa per artificum cola rubosque fluat.
7 Tota tamen non est unius digna venustas
8 pupillae tunicam tingere, Virgo, tuae,
- 04_1 v.1 Abramus hanc o viderit,
2 et par nepos Abramo,
3 qui pro sorore serviens
4 conduplicavit annos :
5 voces in has erumperent ;
6 vah, tetra monstra, formae :
7 o Sara spinturnicium !
8 pitheciumque Rachel !
- 04_2 v.1 Sunt jam vana Deos geniturae somnia matres ;
2 tu Mater una Numinis.
3 Illimi superas augusta puerpera partu,
4 cunis quod usquam vagiit.
5 Est minor, Anna, tuus, minor est post ostia quondam
6 Sarae jocantis Filius.
7 Opprobrium formae credat se iudice Rachel,

- 8 Liamque dicat alteram.
- O4_3 v.1 Anna suo quondam matrum faustissima partu,
2 infelix dici, te pariente, potest.
3 Quaeque parens seri risit cunabula Nati,
4 miratur cunas Sara modesta tuas.
5 Illaque, bis septem quam pastor amaverat annos,
6 rustica prae dominae contegit ora genis.
7 Cynthia sic ignes superat formosa minores,
8 aemula fax nitidi nec micat ulla chori.
- O4_4 v.1 Quo plus Emmanuel tener vetusta
2 ceu Phoebus Samuele fulsit umbra ;
3 hoc Annae quoque praestitit Maria ;
4 hoc Sara quoque pulchrior Maria ;
5 hoc Rachele venustior Maria.
6 Hac cum Virgine comparata forma,
7 hoc cum sidere comparatus aether
8 disparet bona forma, bippit aether.
- O4_5 v.1 Quo spatio sese Samuel Christusque relinquunt ;
2 facta parens utero cesserit Anna tuo.
3 Virginis audito partu, sua gaudia Sara
4 cunasque, et risum rideat ipsa suum.
5 Ut fuerit Rachel formosa, ac digna, tot annis
6 a pastore proco multa ferente peri :
7 lippa soror tecum collata videbitur esse ;
8 lippa ? Sed et lusca, et caeca, myopsque Lia.
- O5_1 v.1 Juditta non tam fortis est,
2 non tam Rebecca prudens,
3 Nabalis uxor barbari,
4 carae Camoenae mentis,
5 placare docta regiam
6 sermonibus machaeram,
7 delirat hic, evanidis
8 cum gentium Sibyllis.
- O5_2 v.1 Vincitur ingenio, quae munere provida vicit
2 Davidis iram vindicis.
3 Et tu, cui sortes facilis dedit Urna jugales,
4 vultu Rebecca vinceris.
5 Hebraea Assyrio celebris Bellona triumpho
6 cedit trophaea Virgini.
7 Succiduae trepidant acies, ubi fulgurat ensis
8 Divae vibratus dextera.
- O5_3 v.1 Quid collata tibi, potuit sapuisse videri,
2 Jessaei gladii quae domat ore minas.
3 Nympha quid, egelida quae flammam prodidit urna
4 sponsus ab oblatis cui fuit emptus aquis ?
5 Illa quid, Hebraeis victrix cantata triumphis,
6 messuit Assyrii quae fera colla ducis ?
7 Linea sunt coeptae sine lumine ducta tabellae.
8 Perfectum Virgo Numinis exstat opus.
- O5_4 v.1 Quid cum Virgine comparata stulti
2 custos provida, Nabalisque conjux ;

- 3 aut felicior urceo jugales
 4 Isaci simul hauriens amores,
 5 aut huic robore comparata Judith ?
 6 Haec strictum propere recondet ensem ;
 7 splendoris dabit haud Rebecca guttam ;
 8 nomen Nabalis obtinebit illa.
- 05_5 v.1 Gratior, et cauta solertior Abigaile,
 2 [te tamen excepta] femina nulla fuit.
 3 Comptior obsequiis, et honestior ore, Rebecca,
 4 [te tamen excepta] nulla puella fuit.
 5 At non Judittae gladium Bethulia jactet,
 6 quamlibet Assyrii caede superba ducis.
 7 Quin ultro volet ipsa tuo dare basia ferro,
 8 et titulo victrix inferiore cani.
- 06_1 v.1 Te sensit audax Lucifer,
 2 rebellis ala Ditis ;
 3 non fabulosi milites,
 4 a seculo Gigantes ;
 5 substructiones improbas,
 6 altissimo propinquas.
 7 Et contumaces Spiritus
 8 contrivit una planta.
- 06_2 v.1 Disperiit scelerata phalanx monstrum jacet ingens ;
 2 deditque poenas Tartarus.
 3 Festivis iterum colluceat ignibus aether,
 4 ferale sidus occidit.
 5 Occidit astriferis quisquis bella, impia bella,
 6 campis scelestus intulit.
 7 Hoc habet, et Stygio serpens porrectus in antro,
 8 fastum nocentem despuit,
- 06_3 v.1 Quam bellatricis decoret te gloria dextrae,
 2 monstrat adhuc Stygio bellua mersa lacu.
 3 Illa per aetherias tempestas horrida sedes,
 4 accedit titulis Hydra perempta tuis.
 5 Crista jacet tumidis olim radiosa pyropis ;
 6 sub pede victrici sibila colla premis.
 7 Virgo, nulla tuis aequant se praelia pugnis,
 8 ex acie palmam ne feret ulla parem.
- 06_4 v.1 Sensit pro Holoferus Inferorum,
 2 divinae procus indolisque sensit,
 3 sensit Lucifer ille sideratus,
 4 erronum quoque siderum magister ;
 5 quae sit Virginis arguentis ira :
 6 quid sit Virginis obterique planta.
 7 Evax ! Cerberus hac premente victus,
 8 hac, hac Tartarus est ligante vinctus.
- 06_5 v.1 Sensit Tartareas Holofernes pulsus ad oras,
 2 cui Numen caelo pellere fastus erat.
 3 Ille Draco, obscuri nebulosus Lucifer Orci
 4 deque triumphata posteritate ferox,
 5 sensit virgineae calcatus fulmina plantae ;
 6 illisumque solo est prodigiale caput.

- 7 Vipereo fundus cerebro respersus Averni,
8 ex illo saniem tempore felque vomit.
- 07_1 v.1 Et tu tyranne Bosphoro
2 egressa, sterne pontum :
3 classem, virosque compara,
4 solum, salumque inunda.
5 Ad insulas Echinadas,
6 (locum memento Fati),
7 ad insulas Echinadas
8 misceberis profundo.
- 07_2 v.1 Jam duodena sacros numerant tibi lustra triumphos,
2 metitque pax adorea.
3 Bellica descripsit Marianos Gloria fastos,
4 cani nefastos Turcico.
5 Ad tua palantes trepidarunt classica lunae,
6 fractis pavore cornibus.
7 Ad tua commotum tumuit mare signa, Maria,
8 Thracesque fluctu subruit.
- 07_3 v.1 Saucia Threiciae didicerunt cornua Lunae,
2 a Luna quid sit nobiliore premi.
3 Agmina sanguineo rapiuntur barbara fluctu,
4 Nereus imperiis dum gerit arma tuis.
5 Nequidquam Getici latrat canis ira : procellis
6 pars perit, hostili pars cadit icta manu.
7 Vectores, nautaeque salo, tabulaeque rotantur.
8 Pallas ab irata fortior arce tonat.
- 07_4 v.1 Hujus Thracia mille luna magnis
2 est experta manum corusca velis,
3 Aetolum mare classibus fatigans.
4 Intercesserat ut Maria votis :
5 eclipsin fuit, ecce, passa Luna.
6 Et spes Turcica naufragata ponto ;
7 est victus Solymus ; Maria vicit.
8 [LACUNE]
- 07_5 v.1 Tu quoque sensisti celebres ad Echinadas armis,
2 quem Selymum Turcam barbara terra vocat.
3 Vix Mariana dedit signum tuba, cum mare vastum
4 Odrysius barathro mersit hiante duces.
5 Descendere viri totis cum navibus hausti.
6 Fragmina disjectae classis arena tulit.
7 Volvit, et in medio fluctuque aestuque revolvit
8 unda catenatos exululata canes.
- 08_1 v.1 Tabo rubebunt vortices,
2 nocentiore tabo,
3 quam Nessus e praecordiis
4 stillarit interemptus.
5 Centaurus alis Nereo
6 portaberis Corinthum.
7 Et vulnus hoc, et funus hoc
8 Iahele est ab ictu.
- 08_2 v.1 Tristibus irrubuit Neptunus decolor undis,

- 2 luctatus inter funera.
 3 Vindex Bistonio vitam romphaea tyranno
 4 rimata lato vulnere est.
 5 Saevior instabat tristi Rhamnusia Fato,
 6 fastumque pressit Sisarae :
 7 decubuit, putremque animam ructavit in Orcum,
 8 rumpente frontem malleo.
- 08_3 v.1 Longa superfuso nigrescunt littora tabo,
 2 mergitur alta rubris paene Corinthus aquis.
 3 Inflatis nuper velis ventosior Alis,
 4 volvitur obscuro gurgite pondus iners.
 5 Non dolet invisis vitam diffundere Fatis,
 6 tam validis Mariam viribus esse dolet.
 7 Sic veteri Sisarae clavus fit clava Jahelis :
 8 senserat haec medio Concanus arma freto.
- 08_4 v.1 Tantas erubuit videns ruinas,
 2 et tot funera, Nereusque strages ;
 3 nam fusus cruor hostis, et rubentes
 4 pulsabant animae natantis Isthmum ;
 5 praefectus quoque Turcicus necatus
 6 ostendit Sisarae timenda fata ;
 7 Quando dirigit arma Christiana
 8 ad clavum residens Jabel Maria.
- 08_5 v.1 Tunc Naupactaeas pavere cadavera phocas,
 2 stagnaue sanguineis intumuere vadis.
 3 Torvus Alis princeps remumque momordit et hastam
 4 faucibus, in Stygias praecipitatus aquas.
 5 I nunc, Threiciam praefer Geta Sisara classem :
 6 Christiadum trucibus classica sperne minis.
 7 Si potes, et nostrae clavum contemne Jahelis.
 8 Fortiter impactus malleus hujus erat.
- 09_1 v.1 Hic illa fortis denique
 2 herois est reperta,
 3 clamata terris omnibus,
 4 vix evocanda caelo.
 5 Virgo virum circumdedit,
 6 virum puella magnum ;
 7 tellure qui stans, unico
 8 suspendit astra pugno.
- 09_2 v.1 Desine sollicita lustrare indagine mundum,
 2 num fortis usquam femina ?
 3 Magna, sed una tamen tibi sistitur heroina,
 4 non metienda Amazoni.
 5 Prodigium matres agnoscite : Virgo Gigantem
 6 pusilla magnum parturit.
 7 Virgineisque virum genitrix amplectitur ulnis,
 8 qui tangit astra vertice.
- 09_3 v.1 Institor extremos Sapiens quid curris ad Indos,
 2 in merce ut reduci femina fortis eat ?
 3 Fortius est aliquid, fortis quam Virgo ? Pudici ?
 4 Clauditur immensa corporis Orbe Gigas.
 5 In cujus digito caelumque et sidera currunt.

- 6 Illi pro stadio Virginis ulna fuit.
7 Machina cui Mundi vix parvum vasta cubile,
8 huic Mariae gremium fit thronus atque torus.
- 09_4 v.1 Fortem quid Salomon requiris ultra
2 desperans prope feminam per Orbem ?
3 Haec est fortior omnibus Camillis
4 Virgo, Thermodoontiisque peltis.
5 Intra viscera clausit hae Gigantem,
6 ipsum corpore condidit Tonantem.
7 Forti dicere femina reperta,
8 rex " Eureka " quid ergo magne cessas ?
- 09_5 v.1 Jam non trans Thulen mulier Salomonica fortes,
2 quaerenda est. Solymas, ecce, stat ante fores.
3 Si fortes creat et fortis ; tulit ista gigantem,
4 non nisi divino semine plena parens.
5 Concepit, circumque dedit (notissima res est
6 vatibus) ingentem parva puella virum.
7 Qui terra ingrediens tanto sublimius inter
8 nubila quantumvis condidit alta caput.
- 010_1 v.1 Se comat Hester nobilis,
2 se compta moliatur ;
3 frontique fundos illinat,
4 quin regna corpus ornent.
5 Sit tota demum gemmea,
6 sit tota margarita :
7 si compares, ut plumbeum
8 exploserim metallum.
- 010_2 v.1 Purpuret Hestra genas, nitidaque in fronte lituras
2 censore vitro corrigat :
3 errantes statione comas componat in arcum,
4 elenchus aure pendeat.
5 Ventilet augustos phalerato in corpore census
6 Persae marita principis.
7 Non tamen ad solidos facit hoc leve fulgur honores,
8 solam decent hi Virginem.
- 010_3 v.1 Cepit Achaemenium gemmis oculisque tyrannum,
2 Mardochoae tuo compta puella metu.
3 Sol quoties crispum capitis depexuit aurum,
4 pexa tamen crines non satis illa suos !
5 Cynthia mutato quoties resplenduit astro,
6 nec satis Hestera est visa rubere sibi !
7 Augustae Dominae radius te strinxerit unus ;
8 mox, Regina, genis tota rubere potes.
- 010_4 v.1 Ornet patruus Estherem pyropis.
2 Et cunctis Garamantidos lapillis.
3 Et totam Tyron, Estherique totam,
4 ut Rex diligat, induat Sabaeam ;
5 haec sed clarior omnibus pyropis,
6 Mater purior omnibus specillis.
7 Vivum prototypon mihi decoris.
8 Umbrae vix species videtur Esther.

- O10_5 v.1 Assueri conjux pulcherrima prodeat : ulla
 2 si dubiam litem forma movere potest.
 3 Excolat ergo suos speculoque reciproca vultus
 4 urgeat Hestheras multiplicetque novas.
 5 Palla coruscantis motu singultiat auri ;
 6 plurimus in collo luxurietur onyx.
 7 Ah ! Quid in hac sumptus nutritor perdis alumna ?
 8 Mortua viventi cedit image Deae.
- O11_1 v.1 Lucente Sole frigidae
 2 dudum peristis umbrae.
 3 Cum veritas effulserit,
 4 facessat hinc figura.
 5 Dicant Mariam Caelites,
 6 et siderum choraulae,
 7 Cum dixerint ter omnia,
 8 dicenda plura restant.
- O11_2 v.1 Haec obscura olim veteres lusistis in umbra
 2 nec umbra plausu finiiit.
 3 Jam nova personae facies, sine nube theatrum
 4 sincera pandit veritas.
 5 Spectatum satis est ; Marianae plaudite scenae
 6 stellantis aulai hospites :
 7 ingeminate choros genii : reparabilis Echo
 8 caelo soloque personet.
- O11_3 v.1 Scilicet Isaciae fuit haec caliginis umbra,
 2 atque secuturae tecta favilla facis.
 3 Flammea nocturni sic laudas atria caeli,
 4 dum Sol divitias pandat ab axe suas.
 5 Ipse tuam damnas mox Titan pallide flammam,
 6 Virgo parens roseum cum vibrat ore diem.
 7 Angelicas inter nulla est tam daedala pennas,
 8 exprimat ut tanti luminis ala jubar.
- O11_4 v.1 Quantum lamina distat a lupino,
 2 quam nutrit Tagus, aut propinat Indus :
 3 tantum codice sanctiore Virgo
 4 laudatas superat parens figuras.
 5 Scribant sidera Virginis refertas
 6 laudum carmine lineas, et orbes :
 7 si scribant sine fine, sique cantent ;
 8 ad centrum, nec ad angulos reducent.
- O11_5 v.1 Umbra quid ad Solem ? Num veri aequabit honorem
 2 corporis, a madida linea ducta manu ?
 3 Provoco vel Superos (vinci mortale fatemur
 4 Ingenium) quotquot fert oneratus Atlas.
 5 Virgineas dotes posita frenare columna
 6 tentent ; huc signo sollicet usque dato
 7 plus ultra inclamem toties. Trans, meta Mariae,
 8 humanas Gades Angelicasque jacet.
- O12_1 v.1 Sertum puellae Gnosiae
 2 ut verticem coronat !
 3 Bis astra sex hic excubant,
 4 Hic excubare gaudent :

- 5 seu jusseris, seu truseris,
6 non dimovebis unguem.
7 Prius migrabunt aethere,
8 quam deserant Mariam.
- 012_2 v.1 Officiosa tibi duodenis astra pyropis
2 sacrum serenant verticem.
3 Sollicita satione haerens vigil excubat ignis,
4 nullo movendus turbine.
5 Et caput hoc, fas est, stellata impune corona
6 cingat satelles aetheris.
7 Fixa prius, liquidos erret vaga stella per orbes,
8 quam fronte migret Virginis.
- 012_3 v.1 Virgineo capiti bis seno fulgure certa
2 irradiant, flammis ambitiosa novis,
3 et quamquam Divae certant allambere crines,
4 at tamen intacti verticis ardet apex.
5 Quanta rotat circum famulas reverentia flammis !
6 Quantus amor Dominae volvit in orbe faces !
7 Ignibus ante suis viduus spoliatur olympus,
8 quam perdat radios ista corona suos.
- 012_4 v.1 Bis senae caput hinc et inde fixae
2 cingunt lumine blandiente stellae ;
3 hae, si Marte premat Jovem Typhoeus,
4 aut si deserat astra fessus Atlas,
5 et caelum ruat, atque fractus Orbis
6 secum detrahat ad profunda Solem ;
7 hae fixae tamen hinc, et inde stellae
8 cernent impavido nitore casus.
- 012_5 v.1 Stella sacris duodena caput regale coronat
2 floribus, et fluxas ambitiosa comas.
3 Ista ministrantes statio, pia sidera, flammis
4 detinet : hoc acuunt laetius ore jubar.
5 Vicinos circum videas errare planetas,
6 flagrantes lepidis invidiae maculis.
7 Non abigant hinc Saturnus, si falce minetur ;
8 non Mars ense suo, Juppiter igne suo.
- 013_1 v.1 Haec ora, frontem, lumina,
2 has areas genarum,
3 haec comparata Numinis
4 labella bella labris ;
5 has gratias, hunc aureae
6 Solem videre formae,
7 est suavitatum suavitas ;
8 quin est Olympus ipse.
- 013_2 v.1 Hic juvat aspectus : sincera hoc gaudia vultu
2 librare gaudent sidera
3 totque columbino mirantur Virginis ori
4 fixisse Numen oscula.
5 Stillant ambrosio tibi roscida melle labella,
6 manusque rorant balsamo ;
7 ore rosas, oculisque rosas jadis : undique frontem
8 verni coronant flosculi.

- 013_3 v.1 Aspergunt foliis radiosum luminis imbrem
 2 sidera, de vultu Virginis ipsa bibunt.
 3 Quid nisi mella fluant illa de fronte, genisque,
 4 Unde Deus succum nectaris hausit apis.
 5 De manibus primae destillant munera myrrhae.
 6 Est collum niveis area scripta rosis.
 7 Balsamei laticem roris labra bina propinant ;
 8 Hic naris dubites, auris an esse velis.
- 013_4 v.1 Vultus Virginis, est amoenitatis,
 2 dans spectacula perbeata circus.
 3 Os, quod Numinis osculis inunctum,
 4 tinctum, floribus, ebriumque melle :
 5 quod nectar loquitur, rosasque fundit ;
 6 stellantes oculi, manusque primam
 7 flentes ubere suavitate myrrham,
 8 omnis sunt amor, omnis et voluptas.
- 013_5 v.1 Quem non detineat tam vultus amabile mulcens !
 2 Languiduli quem non hi feriant oculi !
 3 Sed neque sic languent, ut amoena ferocia desit.
 4 Appresso irritant oscula plena Deo.
 5 Diffundunt digiti myrrham, casiaequae liquorem,
 6 oblita sunt roseis bina labella favis.
 7 Nescio quo simplex facundia nectare manat.
- 014_1 v.1 Statura palmam provocat,
 2 certant genae columbis.
 3 Fons uberum vel Cyprias
 4 post se relinquit uvat.
 5 Illime vas te criminis
 6 non inquinavit error.
 7 Primi parentis toxicum
 8 tantum medendo nosti.
- 014_2 v.1 Diceris aerea, Virgo, magis ardua palma,
 2 quae verrit aethram frondibus.
 3 Grata tuo Cypri cedit vindemia succo,
 4 quem sacra fundunt ubera.
 5 Purpureas sine labe genas non turtur abaequas
 6 decente vultus gratia.
 7 Noxa procul genialis abest : primaeva nocenti
 8 non laesa virtus toxico est.
- 014_3 v.1 Palma ut vicinis caput hospes nubibus infert,
 2 sic se, Virgo, tuo vertice tollit honos.
 3 Simplex innocuo residet tibi turtur in ore,
 4 uberibus certet nec Cypris uva tuis.
 5 Lilia cum sociis ludunt in corpore gemmis ;
 6 vincit mens ipsas integritate nives.
 7 Labis pura nites de tot mortalibus una :
 8 nec macula agnati te premit ulla mali.
- 014_4 v.1 Huic palmae velut eriguntur artus :
 2 turtur mitibus insidet labellis.
 3 Huic sunt ubera dulciora musto,
 4 quod praegnante parit Cyprus racemo.

- 5 Est gemmis gravis, atque tota gemma.
6 Est totum decus intus absque noxa.
7 Est praestans, sine ver me, fructus Adae.
8 Est Evae sine vae decora prole.
- O14_5 v.1 Ardua, Idumaeis ceu palma assurgit in arvis.
2 Lacte putes totas turturis esse genas.
3 Ubera (matris honor) pendentibus aemula botris,
4 haut secus ac Cyprii palmitis uva fragrant.
5 Contra angues saturis vallatam cor hyacinthis
6 laedere non poterat virus, Adame, tuum.
7 Fertur, prima nocens cum carpsit ab arbore malum,
8 abstinuisse suas Eva secunda manus.
- O15_1 v.1 Dilectus illi candicat,
2 candensque purpurascit :
3 sed illa dulce nigricat,
4 amoena sic videri.
5 His imbuens coloribus,
6 his lineis honestans,
7 formae suae miraculum
8 faciebat. Immo fecit.
- O15_2 v.1 Ille tuus, tuus unus Amor candetque, rubetque,
2 fuso decorus sanguine.
3 Tu sponsa, assiduis veluti tentoria Cedar
4 fuscaris icta solibus.
5 Artifici hoc placuit vultus medicamen Amori,
6 cum nigra sis formosior.
7 Hinc placido ridet facies tranquilla sereno,
8 quam nulla nubes asperat.
- O15_3 v.1 Sponsi mixta nivi commendat purpura vultum,
2 scilicet hoc dederant proelia gesta Decus.
3 Sponsam fusca quidem facies, sed amabilis ornat,
4 levis in enodi sic nitet umbra cedro.
5 Cynthus hanc sponsae coelestis lampade formam
6 pinxit ; prae reliquis nam placet ille color.
7 Gratius ex oculi vitro nigredo relucet,
8 haec pupilla suo colligit Astra sinu.
- O15_4 v.1 Sponsus Virginis inclitus cruentis,
2 plus candens nive, purpurascit armis.
3 Sponsae ianthina nigricansque forma,
4 reginae decus anteit Sabaeae ;
5 et quae Cepheus aestimavit ora.
6 Haec est Numinis indoles, et ars est ;
7 obscuris magis emicare rebus,
8 et lucem, simul et locare noctem.
- O15_5 v.1 Millibus e multis bicolor dilectus, et ostro
2 et nivibus certat, sanguine tinctus ebur.
3 Ipsa tamen fusca est. Quali ferrugine ludunt
4 caprarum pelles et Cedarena domus.
5 Nec quia fusca, minus placeat. Vaccinia laetam
6 sic faciem et dulces miscuerunt violae.
7 Res loquitur, magis urit enim pretiosa nigredo.
8 Pallida, dilecti pallet amore sui.

- 016_1 v.1 Rex forte pransus vineae
2 ut pergulas obivit ;
3 quas ordinavit Hesebon
4 per collium theatra :
5 tunc balsamum, tunc cinnamum
6 tunc cortices Cilissi.
7 Tunc nardus est ; et omnium
8 effusa viso odorum.
- 016_2 v.1 Pampineos inter tumulos Hesebonis in agro,
2 ancilla regi sisteris
3 dumque recumbenti vigil adstas, undique nardi
4 odora spirant germina.
5 Sunt tibi frondifluo speciosa cubilia luxu
6 suffulta libris cinnami
7 largior haud aliam Fortunae rivus inaurat,
8 manatque dos beatior.
- 016_3 v.1 Nympha Palaestinis cum regi assisteret hortis,
2 fasciculus nardi, messis odoris erat.
3 Late Engaddanis severnans aura viretis
4 distulit : in totos spiritus ivit agros.
5 Regius accubuit geniali sponsus in ostro,
6 cinnama fragrantem composuere larem.
7 Horti deliciis prior est sponsa omnibus una :
8 veris in hac sponsus gaudia cuncta legit.
- 016_4 v.1 Haec certans Hesebonis in viretis
2 omnes obsequii subire partes,
3 ut Regem sibi vindicaret omnem,
4 spiravit Cilices odore nimbos,
5 nardum, cinnama, balsami medullam,
6 ac omnes animas rosariorum.
7 Ingentem super hoc tenens opum vim,
8 Orbis possidet utriusque gazas.
- 016_5 v.1 Quo trudit pingues Hesebonis villa racemos,
2 regia cum sedem figeret Aula jugo ;
3 obvia forte stetit. Mox fundere nardus odores
4 spargi Corycio purior aura croco :
5 fumare incensis aestiva umbracula libris,
6 quantos e sicco cortice volvit Arabs.
7 Ut taceantur opes, genus innumerabile gazae.
8 Filia tam magnam nulla Sionis habet.
- 017_1 v.1 Argenteae fax Cynthiae,
2 a Sole nonne lucet ?
3 Fulgoris hic precarii
4 cum sat dedit sorori,
5 et illa plenis cornibus
6 ulciscitur tenebras ;
7 tunc frater illi subtrahit
8 quadramque sportulamque.
- 017_2 v.1 Arbitrio Phoebi lunat sua cornua Phoebe,
2 et jussa rursus contrahit.
3 Fraternoque soror bene compta superbit in auro,

- 4 genasque pingit aemulas.
 5 Ast ubi subducto latitat sol aureus ore,
 6 orbata squallet Cynthia :
 7 donec ad astra redux abstergat nubila Phoebus.
 8 Naevosque Lunae diluat.
- O17_3 v.1 Luna quod ambito limbum sibi circinat auro,
 2 accipit a fratre haec menstrua pensa soror.
 3 Accendit seras aliena lampade bigas,
 4 frenaque dat tacitis mutua pauper equis.
 5 Quod si fraternae remorentur pabula flammae,
 6 cassa auro, plumbi livet in ore notis :
 7 ulla nec infectos extergit spongia vultus,
 8 ni purget sordes fratris in igne suas.
- O17_4 v.1 Per menses face singulos sororem
 2 Phoebus recreat, erogatque certam
 3 cursu perpete sportulam nitoris :
 4 nam fons luminis, omnis et nitoris
 5 Sol est undique promus, atque condus.
 6 Si consumpserit hanc Diana lucem ;
 7 caeco sidere pervagatur astra ;
 8 donec lumina frater ipsa reddat.
- O17_5 v.1 Ignes Luna meant inter regina minores
 2 candida praesigni cornua fronte gerit,
 3 atqui divitiis alieni clara metalli,
 4 argentum radit fratris ab ore suum.
 5 Nam nisi Sol quovis consumptum mense rependat ;
 6 evanescit inops et miseranda soror.
 7 Ille cavas iterum valles implere rogatur.
 8 Tantisper retinet se pudibunda domi.
- O18_1 v.1 Aliud Maria sidus es,
 2 alius planeta Virgo.
 3 Quis vidit in te nubila ?
 4 Quis menstruos pavores ?
 5 Lunaticas quis vertebrae,
 6 spasmosque febrientes ?
 7 Tu Luna, tu fax, sonticos
 8 non ferre nata manes.
- O18_2 v.1 Altera, flammifero veheris super aethera curru,
 2 decus, Maria, siderum.
 3 Aurea tu fulges, vix luna argentea pallet,
 4 census egena menstrui.
 5 Summaque Nazarei, Tu Virgo, gloria caeli
 6 minora vincis sidera.
 7 Tu sine nube dies, Tu sol, sine labe, perenni
 8 accendis Orbem lumine.
- O18_3 v.1 Non ita mendicis Virgo dat fulgura flammis ;
 2 nec defecturis hic pluit imber aquis.
 3 Jugiter ardentis micat illi copia lucis,
 4 vena nec emisso sicciore igne fluit.
 5 Sideris haec ingens Nazareni gloria ; nunquam
 6 ploret ut extinctum lux viduata jubar.
 7 Formosas quamcumque faces dispenset in Orbem,

- 8 clarior a radiis emicat usque novis.
- O18_4 v.1 Vivum non patitur Maria caelum
 2 haec symptomata, luminisque cras es.
 3 Loram Delia lucis, atque guttas
 4 a Phoebos capit, et propinat orbi,
 5 sed tu Nazarei planeta caeli,
 6 Jessaeae quoque grande stirpis astrum,
 7 effundis, sine diminutione,
 8 pleno sidere luminis meracum.
- O18_5 v.1 Altius o quanto Mariani gloria caeli
 2 distat ab ancipiti circumeunte globo !
 3 In quem guttatim, paene et jam mortua tantum
 4 lux numerata cadit, non numerosa fluit.
 5 Tu Decus, et vivi vas admirabile, Virgo,
 6 luminis, occiduas non subitura vices ;
 7 ceum nitidus torrens vibras immane serenum,
 8 ex radiis solidum facta Maria mare.
- O19_1 v.1 Quot lampades, quot ignei
 2 in te micant pyropi !
 3 Tot solibus circumdata,
 4 quot fers, Olympe, stellas.
 5 Intus forisque lumen es ;
 6 infra supraque lumen.
 7 Compone, quot vis, vinceret
 8 omnes Maria soles.
- O19_2 v.1 Millenis pateat spatiosus solibus aether,
 2 et luce totus ardeat,
 3 Tu genitrix tamen una parisi, quae concipis una
 4 omnem Sereni copiam ;
 5 teque suum exoptant distinguere sidera caelum,
 6 quod Sole praegnans altero est.
 7 Non humiles meditata gradus, sublimia gaudes
 8 calcare terga Libani.
- O19_3 v.1 Sidere milleni soles superantur ab uno,
 2 inque die nullum se videt esse dies.
 3 Vas jubaris, Virgo, lucis supereminet omnes
 4 divitias, caeli quis nitet alta domus.
 5 Reginam illustri Decor undique cingit amictu ;
 6 aeterni Solis regia pectus habet.
 7 Transiit ut Libani calcatas silva myricas,
 8 sidera sic majus Virgo minora praeis.
- O19_4 v.1 Quot Democritus omnibus putavit
 2 delirans atomos inesse rebus.
 3 Ex tot solibus ista Virgo constat.
 4 Haec lucis domus, atque tota lux est ;
 5 haec in cortice millies decora,
 6 sed praestantior intus in medulla ;
 7 est vertex sacer elegantiarum,
 8 excedens Libanum, premens Olympum.
- O19_5 v.1 Tot soles habitant, unoque in pectore fulgent ;
 2 Hybla quot et vernans pascit Hymettus apes.

- 3 Quot folia in silvis, quot arenae in littore ponti ;
 4 quot trepidant atomi, dum calet alta dies.
 5 Usque adeo penitus pulchro interiore recepta,
 6 formosisque micans tota cupidinibus ;
 7 qua juga consurgunt Libanitide consita cedro,
 8 diceris in suetam saepius isse viam.
- O20_1 v.1 O ter, quaterque dixerim
 2 o centies beatum !
 3 Huic filiae qui principis
 4 meretur esse sponsus.
 5 Perfusus ille gaudiis,
 6 medullitusque potus,
 7 ut piscis innans aequori
 8 efflabit ore nectar.
- O20_2 v.1 En, quanta ingreditur roseis succincta cothurnis
 2 angusta Regis filia !
 3 Pronuba festivas agitabunt astra choreas,
 4 ducente sponsam Numine.
 5 Barbitos icta sonet, sacrique Hymenaeus ad agni
 6 sonet canendus nuptias.
 7 Inde voluptatum mens innatet ebria ponto,
 8 et mille plaudat gaudiis,
- O20_3 v.1 O quo nata gradu procedis regia ! Quali
 2 ponis virgineos Nympha pudore pedes !
 3 Fortunatus Hymen felicia vincula : quisquis
 4 se, sponsa, ingenuo nectit amore tibi.
 5 Ille per Elysios gradietur candidus hortos,
 6 non imitabilibus solvet et ora modis.
 7 Pompa triumphantis quacumque invexerit agni,
 8 ille superfusis melle, sequetur ovans.
- O20_4 v.1 O quam filia principis venustos
 2 molitis pede sanctiore gressus !
 3 Quam felix Hymenaeus instat illi,
 4 quem sponsum Mariana fecit arrha !
 5 Hic ! hic concinet, invidente Musa,
 6 plaudens carmina, cum sequetur Agnum :
 7 huic mulso quasi piscis innatabit.
- O20_5 v.1 Quam liquido signas pede, filia principis, auras !
 2 Vincula quam surae sunt speciosa tuae !
 3 O nimium felix quem taedae in foedera sumes !
 4 Fortunae censor nesciet esse suae.
 5 Quippe per ignotos saltus deducet ad Agnum,
 6 non prius auditi carminis auctor Hymen.
 7 Hymen, io, delphinas Hymen novus inter Arion,
 8 laetitiarum immenso obruet Oceano.
- O21_1 v.1 Cui castitatis lilia
 2 crevere cordis agro,
 3 et Virginem desideras,
 4 ut virgo palma nuptam ;
 5 audi, quid omnes filiae,
 6 omnes canant puellae :
 7 pulcher rimam, castissimam

- 8 duc protinus Mariam.
- O21_2 v.1 Huc age, virgineis cui pectus Amoribus ardet,
 2 sponsaque gaudet Virgine ;
 3 accelerato gradum, campis ubi lilia vernant,
 4 agnique tondent pascua.
 5 Haec formosa tua est, quia non formosior ulla
 6 caeli subivit regiam.
 7 Sola inter Solymae comptas celebratur alumnas,
 8 unamque monstrat indice.
- O21_3 v.1 Delicias thalami castas et gaudia prensas,
 2 atque in Virgineo pacta marita toro ?
 3 Si qua pudica tuis sit, quaeris, amoribus apta ?
 4 Quae libet ex Solymis dicet alumna choris ;
 5 una potest istos exstinguere Virgo calores,
 6 Virgo rosis, prima purior atque nive,
 7 liligeras inter Princeps candore phalanges ;
 8 Virgo, cui similem Terra nec Astra ferunt.
- O21_4 v.1 Huc, huc, quos amor integer lacessit,
 2 rivales properate castitatis :
 3 hic jurantibus, asserentibusque
 4 felicis Solymae simul colonis :
 5 est bellissima Mater haec amica ;
 6 est dulcedine dulciorque sponsa ;
 7 ipsa Pallade, pulchriorque Vesta ;
 8 et vestris tamen est parata taedis.
- O21_5 v.1 Huc, thalami quem castus odor quem Virginis afflat,
 2 huc juvenis voto velificare tuo.
 3 Unanimes tacta jurant Solymitides ara,
 4 ante piatrices, Numinis instar, aquas.
 5 Sunt quae, si fallant, optent cultroque feriri
 6 et laxo ; diris devoveantque caput.
 7 Pulchrior est cunctis Virgo Nazareia Nymphis :
 8 vox diversa sonat, vox tamen una sonat.
- O22_1 v.1 Non absque duces dotibus
 2 Matremque Virginemque,
 3 fecunditas et castitas
 4 toro virent eodem.
 5 Flos inde qualis germinat ?
 6 Iessaeus en Iesus !
 7 Quid rarius, quid carius
 8 tulere prisca Tempe ?
- O22_2 v.1 Quod decus irriguis dat Flora benignior hortis,
 2 quos septa claudunt frondea,
 3 hoc tibi Jessaeo totum vernantia Flore
 4 gratantur incunabula.
 5 Si quid vota valent, si quid suspiria crebras
 6 luctantur inter lacrymas :
 7 displiceat Cyprius ; placeat, qui pectus honestis
 8 amor maritat nuptiis.
- O22_3 v.1 Sidereos inter flores pars pulchra videri
 2 sicupis, en hortum Florida Virgo dabit.

- 3 Flos est illa unus, sed toti sufficit horto ;
 4 hoc de Jessaeus Flore resurgit odor.
 5 Quod sine si flammis nescit spirare voluptas
 6 pectoris ; his ignes floribus adde tuos
 7 num potes ex putri mulsum sperare lacuna ?
 8 Argumentosae hic mella legatis apes.
- 022_4 v.1 Paesti florida jam valete prata,
 2 tu salve Paradise, Virgo, clause,
 3 in quo prodigium perenne florum,
 4 Jesse stemmata protulere Jesum.
 5 Si certo dare vela vis amori ;
 6 expandas Zephyris sinus honestis,
 7 et pellentibus ad beata ventis,
 8 illud dilige, quod probatur astris.
- 022_5 v.1 Horto prima Deus conubia sanxit aperto ;
 2 altera concluso nobiliora parat,
 3 nec sterilis Paradisus hic est. Produxit Jesum.
 4 Germine Jessaeo suavius esse potest !
 5 Quis prohibebit ? Ama. Dulces ab amore sagitta,
 6 dulce sub attonito pectore vulnus alunt.
 7 Dummodo quam terris generosum exemit honestum,
 8 et Virtus supra Fata levavit, ames.
- 023_1 v.1 Quod suadeo, quod occino,
 2 ne spreveris sodalis.
 3 Contempseris fors caetera :
 4 feram, feram, quid ad me ?
 5 Hoc unicum, quod suggero,
 6 sacrum memento sacrum.
 7 Amabis hanc, amabis hanc,
 8 sodalis ! Hanc amabis.
- 023_2 v.1 O Amor, o animis ! Stabili sibi lege Mariam,
 2 pulchroque jungant foedere.
 3 Foederis est pretium non indotata virago,
 4 haeresque scripta siderum.
 5 Jam sponsum invitat vario speciosa colore,
 6 jam palla gestit indui.
 7 Jam tibi caeruleos expandunt astra tapetes,
 8 vestemque spondent pronubam.
- 023_3 v.1 Felix, qui castos Mariae transcribit amores.
 2 Dos erit Hesperio non redimenda Tago.
 3 Aurum vile nimis ; sunt vilia munera conchae,
 4 dives Erythraei quam parit unda maris.
 5 Nec Serum pulset vestis tibi cura tabernas :
 6 intra te, sponsae cur adameris, habes.
 7 Affinis caeli si vis ornatibus ire :
 8 gloria caerulei prima coloris erit.
- 023_4 v.1 Ignis quo jaculeris, ac amores,
 2 sit non altera meta, quam Maria,
 3 jam dos est tibi dicta sic amanti,
 4 non tantum decies ; sed aeviterna.
 5 Te cinget quoque nuptialis auro,
 6 aut quocumque placet colore vestis.

- 7 Caelum suspice, caerulamque sponsae
8 pallam, si sapis, eligas Mariae.
- O23_5 v.1 Ergo ignes, Mariane, tuos impende Marae.
2 Hic scopus : huc jaculum cordis et arcus eant.
3 Fige Deam : totum tibi dotatissima caelum
4 offeret, atque alias ignibus icta faces.
5 Aspice caeruleam vestem, qua incingitur aether.
6 Ex simili tela conficienda tibi est.
7 Fucata innocuo candori purpura cedat.
8 Quos facit ars, omnes vicerit iste color.
- O24_1 v.1 Mirare, quam sit perspicax
2 in rebus eligendis.
3 Testantur hoc oracula,
4 aggratulante nato.
5 Assem, Maria, nobilem
6 hereditavit assem,
7 assem profecto divitem,
8 mundoque dividendum.
- O24_2 v.1 Pars melior voto cessit, quae fama, Mariae :
2 votum beavit Gratia.
3 Nil laevum fortuna movet, cui fortior almae
4 favor Mariae militat.
5 In commune bona es, Virgo, facilemque precanti
6 aram salutis exhibes.
7 Mille favendi artes miseris : tibi nomina mille
8 nostrum sonabit barbiton.
- O24_3 v.1 Optima votorum pars est electa Mariae,
2 quaeque illi nulla vi rapiuntur opes.
3 Ter fortunata replet ille cupidine pectus,
4 spernere qui dempta Virgine, regna potest.
5 Invideam vestro jam non conchyliis rori,
6 si micet in gemmis una Maria meis.
7 Quae dulcedo fluit Mariae de nomine ! Nectar
8 hoc quoties scribit penna, favumque bibit.
- O24_4 v.1 Testis pagina sacrosancta partem
2 est, quod legerit optimam Maria.
3 Haec est tessera certa, pars salutis :
4 hanc quisquis tenet, obtinet salutem.
5 Haec cum sit bona Virgo, milliesque
6 quod vel Zoilus asserat benigna ;
7 gestit promere versibus Mariae
8 hinc sacrum mea Musa saepe nomen.
- O24_5 v.1 Optima pars cujus votis electa ? Mariae :
2 si qua fides verbis, Virgine nate, tuis.
3 Ex qua est orta salus ? Maria. Pro cerea flecti
4 quam bene conveniens flexile nomen habet !
5 Quid refert : Mariam cantaveris, anne Mariam ?
6 Hoc ego seu longum, seu breve nomen amo.
7 Quis mihi det, cunctis inscriptum ut floribus, hortos ;
8 incisum ramis, impleat omne nemus.
- O25_1 v.1 Tecum Siena Romuli

- 2 laus invidenda regni,
3 ignosce, tecum expostulo :
4 nimis tenax fuisti.
5 Unum dabas pro millibus
6 cultoribus Mariae.
7 Bernard, virum integerrimum,
8 nimiumque nominari.
- 025_2 v.1 Sollicito quoties te Bernardinus amore
2 solers amator ambiit !
3 Cor dedit obsequio, postquam dedit omnia sponsae,
4 et alter esse desiit.
5 O tibi non uno fecunda Siena cliente.
6 Plures amori consecret.
7 Quos casta ingenuis lustrent incendia taedis
8 Magnae dicandos Virgini.
- 025_3 v.1 Bernardine, tui similes quis germinat alter
2 hortus opes ; Tuscas quae foret ora rosas ?
3 Altera parthenas quae neccit Sena corollas ?
4 Virginis halanti quis ligat orbe caput ?
5 O utinam, Phoebus qua surgit et occidit, unus
6 fragraret tali Flore superbus ager !
7 Auro sive, rosis seu fulgeat annulus ; arrha est,
8 si medio virtus stet tua gemma loco.
- 025_4 v.1 O multus sit in Orbe ! Multus omni
2 Bernardinus Etruriae columna,
3 qui nervos simul et fibras honori
4 intendat, dicet, applicet Mariae.
5 Jecit litus in hoc beatus ille
6 quasvis pectoris aestuantis undas.
7 Atque ornans adamante signa sponsae,
8 junxit sic adamantinos amores.
- 025_5 v.1 Si Bernardino senis, illustribus orto
2 ter centum similes Itala Terra daret,
3 quot vireant sertis nostrae Sulamitidos aedes !
4 Ille suae sponsae fortis amator erat.
5 Ille suam, veluti vitem sibi vinxerat ulmus,
6 (annulus est testis pronubus) illa suum.
7 Etsi cor pretium viresque adamantis haberet ;
8 virgineus totum comminuebat Amor.
- 026_1 v.1 Nos vero portus respicit,
2 chordas Thalia laxat.
3 Qui volvis haec, testudinem,
4 vis provehi ? Parabis.
5 Et lude pernox, perdius,
6 nec ante Fata pausa.
7 Hunc Orpheum, quid haesitas ?
8 Vel caelites probabunt.
- 026_2 v.1 Ultima meta mihi Mariani graminis instat,
2 stridente raucum barbito.
3 Ergo frangatur, poterunt nam fracta sonoris
4 servire plectra lusibus.
5 Hoc cape, cui faciles aptarunt fila camenae,

- 6 novisque plaude laudibus.
7 Plaude : nec Aonio rumpantur pectine fila,
8 dum parca filo parserit.
- 026_3 v.1 Jam nostro enervi stridet testudo susurro,
2 languescunt anima deficiente fides
3 qui cupit in dignas succedere carmine laudes,
4 non delassatam verberet ungue lyram.
5 Quisquis Arionia peperit sibi nomen ab arte,
6 Ingenium ad numeros convocet omne pios.
7 Adjungat socios, veluti Philomela, canoros ;
8 si nescit fidibus : corde animoque canat.
- 026_4 v.1 Sed tandem citharam, fidesque sistens
2 raucae mando silentium Thaliae.
3 Si praeconia major urit ultra
4 cantandi generosa te cupido ;
5 intactum cape barbiton : quid haeres ?
6 Aude cum socia cohorte dignas,
7 dum spiras, Mariae sonare laudes.
8 Pimpleasque novem valebis unus.
- 026_5 v.1 Sed jam lassato resides sub pollice nervi
2 destituunt vatem. Finio Musa vale.
3 Produci cantum plures qui mallet in horas ;
4 Eia, sibi parvo comparet aere chelyn.
5 Ipse meo pius exemplo praeconia pangat
6 Virginis, increpitas sollicitetque fides.
7 Lautitias alii citharae septemplex optent ;
8 nil tamen hac una lautius esse reor.
- 027_1 v.1 Quod purioris ingeni
2 quod mentis eliquatae,
3 quod artis est, quod virium
4 vocisque, gutturisque ;
5 impende divae Virgini ;
6 nil altius canetur.
7 Fatiscerent arteriae ?
8 Haec integrabit olim.
- 027_2 v.1 Dum tibi vena micat, dum lentis brachia nervis
2 robur perennat masculum ;
3 garrula fila micent, tremulis tua barbita nervis
4 cordique chordae consonent.
5 Utque fides nimiis tenuatae pulsibus odam
6 cogunt supremam carpere :
7 emeritum Virgo lauri donabit honore,
8 caelique plaudent musici.
- 027_3 v.1 Ite, salite cheles, citharae, lyra, barbita, buxi,
2 quidquid et Ismarii ludit in arte chori.
3 Et fidium, vocumque vibret symphonia cantum ;
4 unanimi resonet carmine, Virgo parens.
5 Quid dubitas ? Tibi vena chelyn, tibi pectora plectrum.
6 Corque dabit chordas ; mens tua cantor erit.
7 Quamvis argutos rumpat contentio nervos.
8 Plausus erit rupta major honosque lyrae.

- 027_4 v.1 Voces undique convoces ad arma ;
 2 et quoscumque sonos ad arma ! Ad arma !
 3 Nervis omnibus, omnibusque linguis
 4 certatim Mariana laus canenda.
 5 Rumpantur licet hoc labore nervi.
 6 Exspiret quoque pulmo, cor fatiscat ;
 7 non est ulla tamen phthisis timenda,
 8 [LACUNE ?]
- 027_5 v.1 Omnia lora manu nervosque intende, sodalis :
 2 quaeque tuo pendet taurea fixa toro.
 3 Crede mihi : alternas amat haec quoque Diva Camoenas.
 4 Fac, lyra non nunquam ; terga subinde sonent.
 5 Senseris ut plectro scapulas reboare cruento,
 6 et chordas veris ingemuisse modis ;
 7 perfer ad arguti leges praeceptaque tactus.
 8 Orphea sanguineum praemia digna manent.
- 028_1 v.1 Stat ergo rupe firmissus,
 2 cantare stat Mariam.
 3 Succumbat ars, cor excidat :
 4 cantare stat Mariam.
 5 Alauda rumpat tinnula :
 6 cantare stat Mariam.
 7 Et vivus hunc et mortuus
 8 implevero laborem.
- 028_2 v.1 Sic animare lyram fidicen tentabis : ab imo
 2 rimatus artem pectore.
 3 Cumque suum roseis genitrix Aurora diei
 4 Phoebum salutat osculis ;
 5 dic pariter, salve geminent quoque barbata, salve.
 6 Cum Vesper astra provocat,
 7 his pius obsequiis famulum cor rite dicabis,
 8 perenne laudis organum.
- 028_3 v.1 Carmina quid cessant ? Non saltu corda moventur !
 2 Non trahitur dulci Noxque diesque sono ?
 3 Exspectant istam jamdudum sidera Musam :
 4 felix si modulis immoriare tuis.
 5 Sic quondam, Philomela, tuo testudo sepulcro
 6 serviit o tumuli gloria rara novi !
 7 Cum tibi Fata fides rumpunt et stamina : verba
 8 deficientis erunt ultima : Mater amo.
- 028_4 v.1 Haec cum sint ita : perge, lude, canta ;
 2 Lydo chromate, Doricoque canta.
 3 Vox frangenda licet sit, atque plectrum.
 4 Pernox, perdius usque, et usque canta.
 5 Dic : sub praesidium tuum, Beata,
 6 et Nati fugio fave clienti.
 7 Me totum tibi mancipo per aevum.
 8 Hac stent foedera sanctione sancta.
- 028_5 v.1 Ergo age et incurvum (curva est testudo) frequenti
 2 noctes atque dies pectine corpus ara.
 3 Dumque crepat dorsi compages subtilis ictu,
 4 suspira, interdum. Sic citharoedus eris :

- 5 misce etiam gemitus, ut sit symphonia discors,
6 scis, varium melius tinnit in aure melos.
7 Nate Dea, genitrixque Dei, sit musica vobis
8 et veteri voto grata, precare mea.
- 029_1 v.1 Tuere nos, fortissima
2 o turrium tuere !
3 Quamcumque te, seu gemmeam
4 eburneamve dicam.
5 Regum thronus celsissimus,
6 Salomonis alta sedes !
7 Quem possides, mirabimur
8 fors nauseare Mundum ?
- 029_2 v.1 O te, quam indomiti turrim solidant adamantes,
2 eburque vestit candidum,
3 tu male deprenso pateas tutela clienti ;
4 pulsata pande moenia
5 una salus turri, turrim te poscimus omnes,
6 quos mortis urgent spicula.
7 Te solium petimus, quod lux pretiosa metalli
8 ridente mulcet fulgere.
- 029_3 v.1 Si lubet in plures citharam contendere chordas,
2 turritum recte Virgo vocatur ebur
3 fundamentum adamas, sunt puri tecta smaragdi ;
4 aude hospes, castam caste subito domum.
5 An memorem te Virgo thronum, quem vestiit auro
6 Rex illae astriferae fulgidus arce plagae :
7 o regum nullis aequanda opulentia votis,
8 tam fortunati quem tegit umbra throni !
- 029_4 v.1 Securos tege nos eburna turris,
2 quam fundant adamantini lapilli,
3 quam condunt amethystus, et smaragdi.
4 Quam qui possidet, implet omne votum.
5 Succurras Salomonis invidendo
6 Indorum throne fulgurans metallo.
7 Cui tu certa manes Maria, juste
8 immundum jubet is valere mundum.
- 029_5 v.1 Protege Bellatrix nos, sicut eburnea turris,
2 in montem clypeis aedificata tuis.
3 Fundamenta rigent quadratis aspera gemmis ;
4 summus chrysolithis grandibus ardet apex.
5 Tu solium regni, fulvo quod purius auro
6 stravit Homo Salomon pro Salomone Deo.
7 Et miramur adhuc viles, magalia, nidos,
8 quae pueri statuunt, quos fabricantur aves !
- 030_1 v.1 Argentei narcissuli,
2 vos aureique pupi !
3 Vos feminarum futiles
4 umbratilesque formae !
5 procul, procul discedite.
6 Maria sola bella ;
7 vos cera, larvae, simiae,
8 vos umbra, bruma, struma.

- O30_2 v.1 O formas hominum informes, sine numine vultus !
 2 O sex Gomorrhæ putrida !
 3 Impatiens ævi primos exspirat ad Austros
 4 caducus oris flosculus.
 5 Diluitur facili mendax aspergine gypsus.
 6 Et vultus in vultu perit ;
 7 utque levis patitur vitium pictura coloris,
 8 sic gluten oris diffluit.
- O30_3 v.1 Ite hominum formæ, pretium quis purpura ponit ;
 2 purpura fucatis assimilata dolis.
 3 Quidquid id est veris, blandos cuo perdit honores,
 4 febricula affrictas decutit una rosas.
 5 Fallere picturæ fluxo didicere colore,
 6 histrio gypsatae ludit in ore genæ.
 7 Crinibus, ah, quoties atque empto dente superbit,
 8 prima inter ternas quæ putat esse Deas.
- O30_4 v.1 Hinc cedas spurium decus venustæ,
 2 prognatum nive, purpuraque formæ.
 3 Nam tandem decus exsolescis omne,
 4 et restant elementa sola, pulvis.
 5 Praesertim procul hinc abite fuci ;
 6 et mendacia fascinantis oris ;
 7 hinc ludibria, splendidaeque larvæ
 8 hinc pompæ procul hinc inanitatis.
- O30_5 v.1 Ite coloratæ, mendacia crassa, puellæ ;
 2 carbones picti, tecta sepulchra nive,
 3 quamvis ungatis faciem rugasque lavetis,
 4 haeret in attritis splendida vappa genis.
 5 O cinis, o sordes, o frigora ! Vos qui amaret ?
 6 Ignis, Amor : vultus sed mera vester aqua est.
 7 Tot madet ac stillat succis. Quo distat ab illo
 8 sponsia habens nares, os, oculosque duos ?
- O31_1 v.1 Procul sit omnis Vanitas,
 2 quæ neminem beavit ;
 3 centum strophis, ceu victimis,
 4 Proserpinæ litata.
 5 Et cominus, vel eminus
 6 cupidinem ferentes,
 7 Letho graves non felleo,
 8 sed melleo sagittæ.
- O31_2 v.1 Tu cave funesto saltes persona theatro,
 2 quo ludit orbem Vanitas,
 3 heu, prima excipitur petulanti fabula risu :
 4 extrema fert catastrophem.
 5 Utque animum nocuo Cyprius puer impedit arcu,
 6 oppone scutum vulneri.
 7 Est, est aspis Amor, niveo qui dente venenum
 8 instillat atrum pectori.
- O31_3 v.1 Ite procul Charites, fallacia nomina ; postes
 2 obsero ; formosæ vertite terga feræ.
 3 Virgineæ volucrum facies, turpissima ventris

- 4 proluvies, oculis vos removete meis.
5 Abjice tela, Puer, Cypriis armata venenis.
6 Nobiliore arcu vulnere nostra fluunt :
7 non ita venali viles mihi sanguine venae,
8 procumbam ut Paphiis victima prona sacris.
- 031_4 v.1 Damno perpete calculo nocentes,
2 quas luxus parit, aut figurat umbras.
3 Tritas vatibus, ebriasque fumo
4 detestor quoque vanitatis auras ;
5 Sirenum melos, improbasque nervo
6 jactas Cypridis exsecror sagittas ;
7 quae (pro) vulnera suaviora multis
8 influxere, sed obliganda morte.
- 031_5 v.1 Ite hilares nugae, vanique crepundia mundi ;
2 et praetextati, ludicra pompa, joci.
3 Sint procul infames pharetrae : quaeque improbus olim
4 formata ex auro tela Cupido jacet ;
5 plumbea posco mihi. Tegar his licet, instar echini
6 hispidus : haec odium fixa movere ferunt.
7 Caetera, quae intorquet nunquam secunda Voluptas,
8 tinctorum venenato spicula melle necant.
- 032_1 v.1 Et quas Sorores dicimus
2 Parcas, sed unde "Parcas" ?
3 Ah nemini, dum Mundus est,
4 (o perfidae) fuistis.
5 Sinoniae re, nomine,
6 fuso, colore fusi,
7 Maria vivat ! Imperet,
8 vos ite, et interite.
- 032_2 v.1 Fatidicis etiam scribam divortia divis ;
2 odi profana nomina.
3 Quis vultus niger est, has tu moribunde caveto,
4 haec monstra sunt feralia.
5 Saepius illa meae tentarunt stamina vitae,
6 fallente semper forfice,
7 nunc fatuas Divum contemptor rideo leges,
8 vallatus aere triplici.
- 032_3 v.1 Vos quoque tergeminae, pullata fronte, Sorores,
2 quid mihi cum vestra forfice, cumque colu ?
3 Quid vestri rhombi variis et licia filis,
4 aurea seu fuerint, aerea sive mihi.
5 Serius an citius de fuis pensa trahatis,
6 rideo, non vestris lusus, ut ante, dolis.
7 Tela videbatur texi mihi serica vitae ;
8 cassis Arachnaeae sed fuit illa rotae.
- 032_4 v.1 Feralis quoque tu trias nigrarum,
2 quae vitam mihi neveras, sororum.
3 Sed non fida mihi trias, valeto ;
4 nostrae noxia cede parca vitae.
5 Nobis perfida fila, dum trahebas,
6 texebas laqueos, dolosque nobis.
7 E vili, tenuique nostra filo

- 8 ultra pendeat an caduca vita ?
- O32_5 v.1 Vos quoque detestor, tetricae, tria Funera, Larvae,
2 dicta per antiphrasin parcere Parca triplex.
3 Nimirum ut vulgo texitrix bona femina rara est ;
4 sic quae nent vitae stamina, quaeque secant.
5 Vadite lucifugae, vertatur in ora sororum
6 Atropos et digitos amputet ipsa suos :
7 abstineat nostris. Vetula pendeat ab una
8 sors mea, ut a fragili rustica lana colu !
- O33_1 v.1 Hoc ergo spes meas sinu,
2 hoc abdidique vota.
3 Quis tutiora moenibus
4 scrutentur, aut Asylo ?
5 Testantur hoc et praedicant,
6 Virgo, tui sodales,
7 cum mortis hora venerit,
8 da clausulam beatam.
- O33_2 v.1 O quae deducis meliori saecula fato.
2 Aevumque condis aureum,
3 quot mihi praecipitans soles numeraverit aetas,
4 albi fluant hac auspice.
5 Denique cum sistar fatalis meta sagittae,
6 Mortisque ducar victima ;
7 auxilio me, Diva potens, anima luctantem,
8 dextramque dextrae commoda.
- O33_3 v.1 Tu mea spes, Virgo, noster tibi spiritus halas :
2 cessat ad imperium vena. Micatque, tuum.
3 Norunt Parthenii, Matris pia cura clientes,
4 quid sit Virgineo vota locare sinu.
5 Mors ubi vicina mihi lumina sepsit umbra,
6 Virgo parens oculis Lux oriare meis.
7 Tristiore o Phariis horret caligo tenebris,
8 hanc mihi sub noctem Luna Maria nites.
- O33_4 v.1 Hinc totus tibi do, Maria, totam,
2 quam spiravero, tempus omne, vitam ;
3 nam quod mille tui probant sodales,
4 in te qui sedet, in vado recumbit.
5 Cum Mars ultimus, ultimumque mortis ;
6 bellum me premet, adjuva jacentem,
7 vires exsere tunc, repelle noctem :
8 certamen petit istud, hoc juvamen.
- O33_5 v.1 In te spes omnis, melior Patrona, recumbit ;
2 lux misero restat quantulacumque mihi !
3 Accipe jurati lustralia vota clientis :
4 rem prope confectam, qui tibi fidit, habet.
5 Accipe, et exstingui metuentem lampada vitae,
6 o prae Vestali sedula Virgo fove.
7 Tu venis oleum irrorata, tu suffice flammam,
8 tu scelerum et noctis nubila pelle meae.
- O34_1 v.1 Cum lectus uret, ultimus
2 cum morbus ingravescet,

- 3 o nulla praesto, nulla sit
 4 de tristibus deabus :
 5 tu jura vitae tempera.
 6 Colique fila tracta
 7 vel proroga, vel abroga
 8 utrimque sum paratas.
- 034_2 v.1 Pallida cum tristis me cingunt agmina lethi.
 2 Dolorque pectus obsidet :
 3 non statione animus, non vi praecordia cedant,
 4 Parcis licet tingentibus ;
 5 sed mihi si fato stamen rumpente cadendum est,
 6 Divae cadam stipendiis.
 7 Unius imperio moriar, vivamque Mariae.
 8 Sit una Fatorum arbiter.
- 034_3 v.1 Cum defecti oculi multa jam morte natabunt.
 2 Claudetur digitis palpebra, Virgo, tuis.
 3 Dextra profana meos, nolo, mihi tangat ocellos,
 4 praefica nec nostro garriat ulla toro.
 5 Letifer extremas ubi sudor torserit undas ;
 6 ah, mihi sisisto navita, Virgo, Salo
 7 nec refert, moriens remis divellar, an aura.
 8 Navita si fueris, nulla procella nocet.
- 034_4 v.1 Quare cum gravis, ultimusque morbus
 2 urgebit, neque vena jam micabit ;
 3 tunc scindat mea fila Parca nulla,
 4 mergat funere Parca nulla, nulla.
 5 Sed mitis tua, nobilisque dextra
 6 (cum sententia certa mortis instat)
 7 haec, haec dextera fila nostra volvet.
 8 Cum sis anchora mortis, atque vitae.
- 034_5 v.1 Esto ratum fixumque : simul me Fata citabunt ;
 2 (quod facile ex morbo praeviente sciam)
 3 nunquam atras dignabor anus in vota vocare ;
 4 putria ne subito turbine pensa rotent.
 5 Tu potius medicante manu, mitissima Virgo,
 6 (quandoquidem fractis admonet hora rotis)
 7 vel rumpenda tene ; vel jam marcentia fila
 8 effice, si mavis, ingeniosa seca.
- 035_1 v.1 Accensus est cum cereus
 2 manu tenendus aegra ;
 3 Lethoque nabunt lumina,
 4 artus gelu rigeant ;
 5 et ossa magno concident
 6 fragore ; cor dehiscet :
 7 migrabimus, manebimus.
 8 Quod jusseris, placebit.
- 035_2 v.1 Cum mea flebilibus mors lumina funerat umbris,
 2 et taeda flammam cerea.
 3 Squallida cum tristi rorant aspergine membra,
 4 et horror ossa concutit ;
 5 auspiciis Regina tuis mihi restitues rem.
 6 Quam mortis agmen perculit.

- 7 Sic cecidisse juvat, nec sic cecidisse nocebit,
8 si casu in ipso sublevas.
- 035_3 v.1 Cum discessuro funestam nigra praeibit
2 lampada cupressus Stella Maria fave.
3 Ossea texta sonant ; vox naufraga morte dehiscit ;
4 adsis o famulo, Tu Cynosura, tuo.
5 Non cupio mollis leti super aequore ferri ;
6 provoco nec vestras, horrida Fata, minas.
7 Solvimus. Hanc animam venti quocumque ferendam
8 accipite. At Virgo flecte Patrona ratem.
- 035_4 v.1 Cum jam cereus Hesperusque vita.
2 Fulgebit prope mortuis ocellis ;
3 cum sudor quoque frigidus per artus
4 arescentibus ossibus meabit,
5 tunc mitis tua nobilisque dextra,
6 o Virgo, morientium levamen !
7 Nostram dirigar ista dextra vitam ;
8 cum sis anchora mortis atque vitae.
- 035_5 v.1 Cum tenebrae serpent obtusa in lumina frontis,
2 et tantum in manibus funebre lumen erit,
3 indicioque necis propiore, trementia sudor
4 letifer admixto perfluet ossa gelu,
5 fila seca parcente manu, blandissima Virgo,
6 ceu venam tentes pollice, quale micet.
7 Manibus, heu vereor, nigris ne fabula fiam ;
8 ultima si vitae scena pudenda meae est.
- 036_1 v.1 Cum quinque sensus fugerint,
2 praesensque turba dicet :
3 obivit hic, abivit hinc,
4 ponendus in sepulcro.
5 Tu Virgo dulcis Virginum,
6 vitae necisque praeses ;
7 impelle me, vel sustine :
8 sic stabo, vel jacebo.
- 036_2 v.1 Ut mors luxato quina ostia corpore clusit,
2 maestum gemunt consortia ;
3 pertentantque fibras, tenuis num forte resultet
4 scintilla vitae nuntia.
5 Cumque nihil vitale micat, fit luctus, et omni,
6 heu vixit ! Ore personant :
7 sic vixisse juvat ; nec sic cecidisse dolendum est,
8 quisquis Mariae vixerit.
- 036_3 v.1 Provehor immitis jam frigida sarcina cymbae
2 aspergit fictas forte sodalis aquas,
3 utque emigrantem propellat flatus amicum.
4 Suspirat, tacitos splene coquente jocos,
5 quo feror ? Incertae nisi Dux es, Virgo, carinae ;
6 alto Cocytus gurgite certus hiat.
7 Pande sinum Virgo. Mihi Tu ratis anchora, remus.
8 Tu Zephyrus, malus, lintea, portus eris.
- 036_4 v.1 Cum sensus fluet omnis absque sensu,

2 et praesens hominum corona dicet ;
 3 vixit : spiritus, atque vita cessit.
 4 Venae stant, hiat os, rigetque : vixit.
 5 Tunc mitis tua, nobilisque dextra,
 6 o Mater, mea. Vita, fonsque vitae !
 7 Nostram dirigat illa dextra mortem ;
 8 cum sis anchora mortis, atque vitae.

036_5 v.1 Sic ubi mens in se stupidis jam sensibus orba
 2 cesserit ; ut capta miles in urbe solet.
 3 Mussabuntque aliqui : migrat, illuctatur agoni.
 4 Frigidus in toto corpore sanguis hebet.
 5 Fila seca languente manu, dulcissima Virgo ;
 6 ut quae dissimulet scindere, quando ferit.
 7 Ah ! precor, ah tota te protinus utere Mater.
 8 Actum est ; ni tota protinus usa juves.